



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. I. Legati. Examinatur, quomodo Legata ad Pias Causas olim facta, & hucusque neglecta, executioni dari debeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](#)



CONSILIORUM
R. P. FRANCISCI
SCHMALZGRUEBER
SOCIETATIS JESU.
TOMUS PRIMUS.
CONSILII I.
In Causa Triplicis Legati.

S U M M A R I U M .

1. Facti species.
2. Voluntas ultima defuncti absque rationabili causa commutari neguit, etiam in melius.
3. Ex rationabili causa commutare eam potest solus Pontifex: Episcopus saltem interpretari per Epikiam.
4. Referuntur quinque casus, in quibus id potest Episcopus.
5. 6. 7. Potest Episcopus anniversarium in alia Diaecesi institutum transferre in suam sub certis limitationibus.
8. Ex Pecunia pro anniversario legata, cuius solutio hucusque neglecta est, census debent de prateritis annis solvi, ita
9. Ut ex iis compensentur omnia sacra hactenus
- omissa, & ea, qua pauperibus fuissent tribuenda.
10. Quomodo Missarum, & eleemosynarum missarum compensatio facienda.
11. Legatum olim factum pro certis ornamentis Ecclesia potest ad alios pios usus, ex rationabili causa converti, sed non sine consensu Ordinarii.
12. Census autem annui, qui pro tempore dilata executionis fluxissent, solvendi non sunt.
13. Potest legatum successivè per partes, si simul absque notabili difficultate non possit, exsolvi.
14. 15. 16. Legatum olim ancillis relatum, vel restituendum earum heredibus; vel aliis pauperibus; vel sit caducum pro diversis circumstantiis.

FACTI SPECIES.



Um adhuc duraret
Bellum Sueicum,
Germania nostra
calamitosissimum
Catharina Illustris
genere, & natalibus
Matrona, è domici-
lio suo, quod in Sue-
via habuit, milerias belli hujus volens effu-
gere, tutum in alia Provincia sibi refugium

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

quaesivit, & Nabore (sic Civitatem, ad quam confugit, modo appellate licet) inventit, ubi cum per aliquod tempus vixisset, diem tandem extremum obiit, & sepulturam accepit. Ante mortem in condito à se testamento ex bonis suis dotalibus tria fecit legata. 1. Ecclesiae Naborensi pro anniversario, & certis Missis annuis florenos 400. 2. Ecclesia Parochiali loci, unde in exilium abiit, pro novo altari, & aliis ad ornatum illius templi florenos 500. 3. Duabus ancillis suis florenos 100. Hanc Testaticis mentem,

CONSLIUM I. LEGATI.

2

mentem, cùm ab anno 1635. conditi testamenti usque ad annum 1642. nondum impletam videret Catharinae soror, quod Hæredes impossibilitatem obtenderent ob miseras, quæ Belli Suecici appendix erant, eodem anno 1642. 16. Maij inter ipsam ex una, & Hæredes ex altera parte transactio facta est, vi cuius dicta Catharinae Soror de prætensionibus plurimis, quas ipsa adversus Hæredes habuit, partem remisit, ut isti sic mitigata difficultate, legata pia à testatrice facta exequerentur. Quod onus etiam in se suscepérunt Hæredes, sed etiam tum execuptioni non dederunt, quod adhuc Familia difficultatibus rei domesticae, admodum gravibus premeretur. Præcipua difficultas erat in anniversario juxta testatrixis mentem habendo Nabore, loco diffuso extra Diœcesin, & procul à Dominiis familiae posito, ubi neque agnati, neque noti ulli, qui anniversarium procurarent, vel institutum urgerent, inveniuntur. Hinc ab Ordinario propriæ Diœcesis pro hoc, & aliis anniversariis, quæ familiae antea jam incumbebant, dispensatio petita est, & pro his quidem obtenta, propiore autem, quod facta sit illius fundatio in locum extraneæ Diœcesis, & sic Jurisdictioni ejusdem non subjectum, negata. Unde factum, ut cùm non minus arcta hucusque perseveret in familia obligata res domestica, ad hoc usque tempus neque anniversarium habitum, neque cætera duo legata soluta fuerint. Offerat autem se dicta Illustris familia ad hæc exequenda pro viribus, in primis vero ad procurandum anniversarium cum Missis præceptis, modo istud ex Naborense civitate in templum Parochiale loci, ubi domicilium habet, transferri possit. Atque hinc

QUÆRITUR I.

An, & cuius potestate Anniversarium istud ex Diœcesi Civitatis Naborense transferri in Diœcesin possit, in qua habitat familia?

2.

Questio hæc attingit celebre illud in Jure utroque dubium de commutatione ultimarum voluntatum, quæ duplex fieri potest de re ad rem, & de loco ad locum; hæc posterior facilior est, quam prior; quia in ea adhuc substantia ultimæ voluntatis manet, cùm locus solum sit de circumstantia. Neutrā commutationem fieri posse, nisi causa adhuc rationabilis, explorata est veritatis, & ex utroque Jure liquidum; voluntas enim testatoris omnino servanda est.

c. ultima voluntas. 13. q. 2.

Et ultimum testamentum hominis immobile perseverare debet.

c. cum Martha. S. caterini, de celebr. miss. addicione cauam l. 1. in fin. C. de sacrof. Eccles.

Quod nihil sit, quod magis debeat hominibus, quam ut sapientia voluntatis liber sit sty-

lus: & hinc ultimæ voluntates legis autho- ritatem obtinent, ut ait textus: disponat te- stator, & fiat lex.

Auth. de nupt. §. disponat. collat. 4.

Et hoc verum est, etiamsi aliud quid longè utilius, in quo bona relicta expendi possent, sece offerat; nam etiam eo casu nefas est executoribus à testatorum voluntate discedere, ut bene advertit

Molin. tract. 2. de Justit. D. 24. n. 1. &

patet ex c. tua nobis. de testam. & aliis

Juribus.

id quod ratio ipsa persuadet; integrum nem- pe est unicuique sua, prout voluerit, licet expendere, neque privatus quisquam potest ea in parte ullum ei prejudicium inferre. Di- xi nisi causa adhuc rationabilis; nam ex causa rationabilis à legitima potestate commutatio hujusmodi ultimarum voluntatum fieri po- test, ut omnes fatentur.

DUBIUM I. est, quis commutare pias defunctorum voluntates possit? Respon- dendum, potestate ordinaria hoc posse so- luum Summum Pontificem.

Ita Bartol. in l. legatum. ff. de usufr. legat.

Molin. tract. 2. D. 249. n. 5. Layman.

lib. 3. tract. 5. c. 11. n. 11. Valsq. opusc.

de testam. c. 8. n. 103. Pirhing lib. 3.

tit. 26. n. 132. Barbos. de offic. & porest.

Episc. p. 3. alleg. 83. n. 1. & apud hunc

plurimi alii. Constat ex Clem. 2. de Re-

ligios. domib. ubi dicitur, quod ea, quæ

ad certum usum largitione (in vita, &

morte, ut Gloss. ibid. V. largitione in-

terpretatur) sunt destinata fidelium, ad

illum debeat, non ad alium (etiam pium

Gloss. ibid. V. non ad alium) salva Sedis

Apostolica Authoritate, converti.

Consentit. Trid. sess. 22. de Refor. c. 6. ubi sta- tuitur, hujusmodi commutations neque ab Apostolica Sede fieri debere, nisi ex justa, & necessaria causa: & hinc Valsq. l. cit. do- cet, si nulla sit causa, commutationem sic factam, et si à Pontifice ipso facta sit, esse invalidam. Colligitur etiam

arg. l. 1. & l. legatum. 4. ff. de adminisfr. rer. ad civit. pertin.

ubi dicitur: legatum municipio, vel civitati pecuniam, in aliam rem, quam defunctus voluit, commutare circa Principis autoritatem non licet. Solius ergo summi Principis five Ecclesiastici, five laicularis est proprium, ultimas voluntates testatorum ex rationabili causa commutare; cùm enim is toti reipublie præsit, providere debet, quæ ad ejus commodum spectant, ut ait Pirhing l. cit. Et hinc cum nullus inferior possit gerere il- la, quæ supremo Principi reservantur,

c. quod translationem. 4. & ibi Gloss. re- cepta. de Off. Leg. c. majores. 2. in princ. de baptism.

per necessariam consequentiam deduci debet, Episcopum per se loquendo, & ordina- tria authoritate nullam habere potestatem commutandi voluntatem defuncti,

3.

Resolvitur
dubium I.

CONCILIO I. LEGATI.

3

ut iterum docet Barbos. l. cit. n. 2. ubi plurimos alios citat.

An delegata per Sedem Apostolicam potestate ad hunc effectum gaudeat? controversum est inter DD. Affirmant

Sylv. V. legatum 4. q. 12. Ludov. Baja p. 4. casu 22. Graff. tom. 1. conf. l. 3. conf. 2. n. 10. Comitol. respons. moral. l. 7. q. 9. n. 2. Vasq. opus de testam. c. 8. num. 104. Fagnan. in c. nos quidem. de testam. n. 14. Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 83. n. 5. Dian. respons. moral. p. 2. tract. 3. miscell. resol. 26. Engl. p. 2. l. 4. tit. 4. de testam. n. 23. & videatur consentire Pirthing l. 3. tit. de testam. n. 132.

Contrarium docent

Abb. in c. tua nobis. de testam. num. 4. Covar. ibid. n. 7. Laym. l. 3. tract. 5. c. 11. n. 11. Molin. tract. 2. de jussit. D. 249. n. 5. Molfes. summ. tom. 2. tract. 13. n. 182. Haun. de J. & J. tom. 2. tract. 6. n. 681.

ubi negat Episcopum etiam cum consensu Executorum voluntatem defunctorum in aliud, etiam melius commutare posse, nisi casu, quo prudenter presumi potest de testatoris voluntate; probaturque hoc

ex Clem. 2. Trid. & l. 4. ff. de administr. rer. ad civit. pertinent. citr.

quibus Juribus requiritur authoritas Sedis Apostolicae. Sententia est utrinque dubia, de quo Ordinarii scient, quid ipsis tum legitima concessionem, tum longa consuetudine in hoc puncto licet. Hoc innegabile est, quod Episcopus, licet forte dispensare propriè in ultimis voluntatibus nequeat, interpretari tamen istas per Epikiam possit; nam in hoc convenienter DD. etiam ij, qui facultatem dispensandi propriè Episcopo non concedunt, nominant Abb. in c. tua nobis. cit. n. 6.

Covar. ibid. n. 7. Molin. cit. D. 249. n. 5. Laym. n. 11. sive V. testament. n. 33.

DUBITATUR 2. In quibus casibus Episcopus interpretari ultimam voluntatem, & commutare eandem possit? Octo omnino causas, ex quibus Episcopo istud licet, enumerat

Barbos. l. cit. n. 7. & seqq. quæ ad quinque præcipue capita reduci possunt. 1. Cum voluntas testatoris aut omnino impleri non potest, aut admodum difficulter, tunc enim arbitrio Episcopi, & Executorum commutari in aliud potest, ita tamen, ut quatenus possibile est, defunctori voluntas servetur.

habetur c. nos quidem. de testam. & notant ibid. Abb. n. 6. Covar. num. 12. Laym. n. 10.

Et ratio est, quia in tali casu commutatio non fit contra voluntatem defunctori; conjecturatur enim, si viveret, facturus eandem mutationem. Atqui,

ut recte Menoch. de arbitr. Judic. l. 2. cas. 25. n. 17. ex l. si servus plurimum. s.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

fin. de legi. l. in fidei commiss. §. cum Polliodius. de usur. adverbit,

voluntas testatoris conjecturata idem operatur, quod expressa. Unde si præcipitur ad dicari monasterium, vel Ecclesia in uno loco, ibi autem ad dicari non possit, arbitrio Episcopi, & Executorum eligendus est aliis locus; si pecunia legata ad usum imperatum non sufficit, per Episcopum cum eorundem Executorum consensu converti in aliud usum potest. 2. Cum legatum factum est ad usum non ita necessarium; tunc enim Episcopus cum Hæredis, & Executorum consensu interpretari interdum potest, non fore alienum à voluntate defunctori, si mutatio in aliud finem magis necessarium fiat. Sic quando legatur pecunia ad pingendam Ecclesiam, quæ ruinam minatur, potest Episcopus illam pecuniam applicare pro restauratione ejusdem: item si testator legavit ad sacra vasa conficienda, quibus illa non indiget, sed magis casulis, aut aliis paramentis, potest in hac paranda eandem infumere.

Covar. in c. tua nos. 17. de testam. n. 7. Barbos. alleg. 83. n. 13. Layman. c. II. n. 11. Engl. p. 2. l. 4 tit. 4. n. 23.

3. Quando Ecclesia, ad cuius favorem emanavit defunctori voluntas, negligens est; data enim hujusmodi negligentia potest Episcopus in alio loco, seu alio modo testatoris voluntatem executi; cum prudenter presumatur, maluisse testatorem in aliud locum transferri rem legatum, & ibi fieri opus prescriptum, quam ut maneat in loco præscripto, sed opus intentum non ponatur. 4. Si subsit causa aliqua vel de novo incidens, vel ignorata a testatore, quam si testator prævidisset, aliter disposuerit, & nunc quoque, si videret, contentus esset legatum plium in aliud usum, quam destinarat, converti; tunc enim secundum Epikiam interpretationem facere ad Episcopum, & Hæredem, aliosque Executores pertinet. 5. Denique si urgeat aliunde necessitas commutandi ultimas defunctorum voluntates, neque adiri posset S. Pontifex; tunc enim Episcopum illas commutare posse multis probat Moneta, quem citat, & sequitur

Barbos. l. cit. n. 13. Dixi autem semper cum Episcopi, & Hæredis, vel Executorum consensu; nam,

ut bene in c. nos quidem. cit. notant DD. conversio ista non potest fieri per solum hæredem, nec per solum Episcopum, sed per utrumque. Præter consensum hæredi

Petrus de Ubaldis apud Barbos. l. c. n. 6. requirit etiam consensum Ecclesie, in cuius favorem testator legatum fecit,

ex l. legatum. ff. de usur. legat. & l. legatum ff. de administr. rer. ad civit. pertinent. & hinc

Moneta c. 5. n. 389. resolvit, non posse Episcopum ultimas vo-

A 2

luntates

COSILII I. LEGATI.

luntates pertinentes ad Ecclesiam commutare ipsis invitis ordinaria potestate. Quodsi tamen Hæres contradicat, & Ecclesia consentiat Episcopo commutare volenti, prævalebit consentitus Ecclesie ad tuendam voluntatem defuncti. Barboſ. L. cit.

5.
Dubium 3.

DUBITATUR 3. Utrum auctoritate Ordinarii domicilii anniverlarium à testatrice in Naborenſi Ecclesia institutum transferri in Diocesin propriam possit? Obſtare videatur 1. Testatricis voluntas ultima; debent enim, ut num. 2. diximus, voluntates ultime esse immobiles, & custodiri ſanctissime. 2. Jus morte testatricis confirmatum Eccleſiae Naborenſi; nemo enim jure ſuo ſpoliari debet invitus: igitur videtur requiri faltem, ut translatio fiat cum Eccleſiae illius conſensu. 3. Quia Nabor est locus extra-neus, non ſubjectus Ordinario domicilii; jurisdictione autem Judicis extra territorium ſuum non extenditur, ut paſſim leges. Ve-rum triplex hæc difficultas facile amoveri poterit, ubi conſidererit, in talibus circumſtantia rem poſitam eſſe, ut ob eas testatrix praefumī merito poſſit contenta fore ejusmodi translatione; tunc enim non diſpenſatione, circa quam, ut num. 3. diximus, dubia ſaltem eſt Ordinariorum potestas; ſed interpretatione, que juxta oīnnes Ordinariis conuenit, opus in negotio iſto foret. Tales autem circumſtantiae, ſi res benè perpendatur, videntur dari omnino in caſu praefenti; nam 1. Arctitudo rei domeſtice, qua adhuc familia obligata premitur, redigiffe rem eō videtur, ut testatricis voluntas vel omnino impleri non poſſit, vel alio in loco impleri debeat; quodſi enim anniverarium Nabore celebrandum maneat, vel tota capitalis ſumma 400. flor. illuc transmitti debebit, vel quo annis redacti ex illis censu pro anniverario destinati, que translatio fine novis expensis, & periculo etiam, ne in via intereant pecunia, fieri non poſteſt: accedit, quod in illius Provincia locis longe minori pretio accipiatur pecunia, & ſic aut intentioni Fundatricis pars ea fit decessura, vel à huic nihil decadere vellet familia, ipſa novum & perpetuum onus haberet addendi, quod alibi decedit estimationi pecunia. At ſi domi in Aede Parochiali celebrentur hæc anniveraria ſacra, non erit opus aliquid addere, & ſi praefenti pecunia ſolvi nequeant, aliis utenſilibus, quorum major eſt copia, & facilior exſolutio, compensari poſſunt. 2. In Parochia domicili longe rectius obtinet Fundatrix ſuum finem, & moralis eſt certitudo perpetuationis, quia adeſt familia, que urgeat celebrationem anniverarii, ſemel facta fundatione poſteſt; cum aliās, ubi nemo eſt, qui urgeat, ſapere per negligentiam intercidant hujusmodi pia instituta. 3. Eundem finem ſuum testatrix in dicta Aede Parochiali longe copiosius obtinet; quia aderunt anniverario Agnati, & tota Illuſtris

familia, qui pariter preces suas p̄t defunz̄. Etā fundent, cum Nabore fortasse nemo ſit interfuturus, niſi Sacerdotes illi, qui pro stipendio Miffas facerent. Igitur ad dubitationem propositam, & quætionem num. 2. factam

DICENDUM 1. Poſteſt praefumī de testatricis voluntate, eam conſenſuram fuſſe in hujusmodi translationē, ſi tempore, quo teſtamentum condidit, aut fuſſent, aut ipſa conſideraſſet circumſtantias num. 3. factas. Probatur: voluntas enim testatricis profecto fuit ejusmodi, quod voluerit anniverlarium potius celebrari in alio loco, quam omnino non celebrari: item, quod voluerit idem anniverarium cum ſpe, & morali certitudine perpetuationis, quam ſine ejusmodi certitudine, aut cum periculo cef-tationis: denique quod voluerit dictum anniverarium agi in loco, ubi familia obligata perpetuare anniverarium iſtud poſteſt, quam in loco, ubi non poſteſt, vel non niſi cum magna difficultate poſteſt. Tales autem ſunt circumſtantiae praefentes, ut num. 3. facta. vidimus, igitur omnibus conſideratis merito praefumī poſteſt, & debet Fundatricem, ſi viveret, conſenſuram in hujusmodi translationē, neque obligare voluſte Hæredes his ſtantibus, ut anniverarium nihil minus celebraretur Nabore. Accedit, quia, ut meticulosus eſt alter ſexus, eo belli tempore, quo mortua erat, fortaffi meliora de patria ſua ſperare non poſterat: & ſi ſperaſſet meliorem brevi patria ſua fortunam, fortaffe non tantum anniverarium curaſſet haberi in patria, ſed etiam, ut apud nobilia ſolet funera, cadaver eō transferri. Unde ad minimum dubium eſt, quid his ſtantibus maluſſet Fundatrix; in dubio autem interpretari voluntatem testatorum Epifcopus poſteſt. Et hinc

DICENDUM 2. Mentem testatricis in hoc caſu interpretari cum Hæredum, & Executorem conſenſu Ordinarius domicilii poſteſt, & ſic anniverarium pro Eccleſiae Naborenſi fundatum in Diocesin ſuam transferre. Si enim aliquid obſtaret, quod minus ille hoc poſſet in praefenti caſu, obſtarent argumen-ta ſub initium numeri quinti facta. Hec non obſtant. Non prium, quia translatio hæc ſpectatis circumſtantiaſ casuſ menti testatricis eſt vel maximē congraua, ut num. 5. & 6. oſtenſum eſt; eſt enim translatio ſolum de loco in locum, ſalvā ultimā voluntatis ſubſtantia. Atqui ubi res ad eas circumſtantias redacta eſt, ut vel omnino non impleri testatricis voluntas poſſit, vel in alio loco impleri debeat, merito praefumitur, quod ſi adhuc viveret, conſenſura fuſſet ad mutationem loci; ſic enim optimo, quo po-test modo adhuc ultima voluntas ejusdem ſervatur. Ergo &c. Neque obſtat ſecondum, quia Naborenſis Eccleſia ſolum ha-bet jus ad rem, fundatrix autem ha-bet jus fortiuſ, quod deſumendum eſt ex interpretatione

6.

Deciſio
quætionis

7.

CONSLIUM I. LEGATI.

5

Non voluntatis ejusdem. Hæc autem, ut paulo ante dictum est, talis fuit, ut malueret anniversarium alio in loco fieri, quam omnino non fieri. Igitur fortius jus sibi retinuit ad anniversarium, quam Ecclesia Naborensi dederit per hujus anniversarii foundationem. Subfumo: sed ubi convenienter duo jura, quorum utriusque satisficeri non potest, præferendum illud, quod fortius est, & hoc sine injuria habentis jus minus forte; quia quodlibet jus habet imbibitam hanc conditionem, ut satisficeri sibi petat, nisi aliud jus magis forte eidem obstat. Confirmatur; quia familia obligata non tenetur Naborensi Ecclesiæ fortiori titulo ad restitutionem, quam ex injusta detentione: habent autem hoc ea bona, qua titulo injustæ detentionis restitutioni obnoxia sunt, ut si restitui in loco debito nequeant, restitutio eorum fiat alteri loco; in quo consentiunt omnes Theologi. Igitur cum ostenderimus num. 5. anniversarium Nabore difficultimè, & consequenter morali impossibilitate executionem nancisci posse, celebratio illius cum venia Ordinarii fieri debet in alio loco magis commodo. Talis autem est templum Parochiale domicilii familie, ut itidem ostendimus cit. num. 5. ergo &c. Sed neque vix habet argumentum tertium num. 5. cit. allatum in contrarium; nam quod in tali casu Episcopus facit, facit interpretando, non dispensando. Igitur non impedit, quod locus, è quo translatio fit, sit in Diœcesi aliena; nam dum interpretatur, solum declarat, non dari obligationem, impossibilium enim non est obligatio, ut passim Jura: quod autem fieri non potest, nisi difficulter, in Jure impossibile dicitur, præsertim si falsa dignitate fieri non possit,

Ut bene Fagnan. in c. nos quidem. de testam. n. 62. ubi ait: absolute dici illud fieri non posse, quod salva dignitate fieri non potest. l. nepos. ff. de V. S. l. non aliter. ff. de usu & habit.

Nequis obstat, quod fortasse non omnes ex familia obligata pares in re familiaris difficultates patiuntur; per hoc enim, quod unus ex obligatis patiatur minus, ad exequenda hæc pia legata non tenetur conferre plus: igitur manet alteri parti, cui minus in re familiaris prospectum est, tota difficultas. Interpretari igitur etiam hoc casu Ordinarius mentem testatricis poterit. Neque opus est ad hoc consensu Ecclesiæ Naborensi, cui legatio hæc facta est; quia, ut diximus, hæc translatio juri ejusdem quæsito non præjudicat, cum ex naturali æquitate jus minus forte fortiori cedat. Accedit, quod etiam si nulla adesset moralis impossibilitas, si tamen prudenter præsumi possit, consideratis circumstantiis maluisse testatorem de loco in locum translationem fieri, adhuc est locus interpretationi; nam voluntati rationabiliter præsumpta non minus standum est, quam voluntati expressæ. Ita autem præsumi pos-

si constat ex num. 5. & 6. Igitur omnino dicendum, quod Ordinarius domicilii interpretari hoc casu voluntatem testatricis possit, & anniversarium Nabore institutum in Diœcesin suam transferre: neque obstat, quod legatum hoc concernat alienam Diœcesin; quia ut interpretari Episcopus mentem testatoris possit, sufficit, quod sit Ordinarius rei sitæ, vel Personæ obligatae, cum ita interpretando nullius Juri absolute quæsito noceat. Suadet igitur familia obligata, ut denuò Ordinarium accedit, gravamina sua, ob qua translationem anniversarii cupiat, fideliter eidem exponat: quæ si talia fuerint, ut iis consideratis prudenter præsumi possit de consensu, & voluntate testatricis, non gravabitur ille petitioni condescendere, cum eo casu abunde instructus sit potestate ad testatricis ultimam voluntatem sic interpretandam.

QUÆRITUR. II.

An ex supra dicta summa 400. Florenorum, quos testatrix legavit pro anniversario in solarium anima sue, census exsolvi debeant?

SI quatuor solummodo pro centum compotentur, census ab anno 1642. factæ transactionis ascenderent ad 998. Florenos, qui juncti summa Capitali facerent summam 1398. Florenorum, qui Familia obligata ex silius anniversarii obligatione solvendi forent: quod onus cum admodum grave sit, hinc surgit dubium, an census isti ob anniversarium tot annis neglectum in tantam summam coalescentes exsolvi, & restituи debant? Videntur non restituendi sub obligatione; nam si restituendi essent, essent restituendi vel Ecclesiæ Naborensi, vel Ecclesiæ Parochiali domicilii, cui ex Ordinarii Facultate applicabatur anniversarium. Neutri autem videntur debere restituи: non Ecclesiæ Parochiali domicilii; quia ante designationem Ordinarii hæc Ecclesia nullum omnino jus habuit ad 400. illos Florenos, utpote cum jus hoc solum acquirat per designationem Ordinarii. Igitur neque jus habet ad censum, qui interea fluxerunt ex illa summa. Non etiam Ecclesiæ Naborensi; quia, ut num. præced. diximus, hæc solum habuit jus ad rem, & quidem non absolutum, sed conditionatum solum, sub conditione scilicet, nisi eidem obstat jus fortius testatricis: igitur neque census absolute sibi vindicare potest. Adde, quia Ecclesia Naborensi mens hæc Fundatricis probabiliter nunquam fuit intimata, multo minus ab eadem acceptata fundatio, & neutra ex parte unquam tanto tempore de hac fundatione facta mentio. Conf. Quia census sunt fructus pecuniae; fructus autem rei cedunt in dominium ejus, qui est dominus rei.

8.

Rationes dubitandi.

A 3

§. 15

CONSILIO I. LEGATI.

*S. is verò. Inst. de rer. divisi. Less. 1. 2.
de Just. c. 12. dub. 17. n. 111.*

Ante traditionem verò, cum res legatur indeterminata, & in cumulo totius hæreditatis posita, dominium rei legatae adhuc permanet penes eum, penes quem est hæreditas. Igitur etiam census sunt sub Hæredum dominio. Sed his non obstantibus certum omnino est, quod census isti (quamvis propriè census vocari non debeant, sed potius stipendium pro habendo anniversario) quantum fieri potest, & mens Fundatricis exigit, exsolvi debeant. Per hoc enim, quod hactenus ex impotentialia, aut forte alia rationabili causa soluti non sint, & anniversarium omissum, nequaquam sublata, sed tantum dilata est obligatio solvendi eosdem censum. Est paritas cum debito, quod suspenditur, non extinguitur propter impotentiam solvendi debitum. Argumenta in contrarium prolatam nihil probant.

Ad I^mum non habuit jus ullum Ecclesia Parochialis, neque absolutum & compleatum Ecclesia Naborensis; habet tamen jus anima testatricis, cuius ultimæ voluntati ab Hæredibus satisferi debet, & quidem obligatione justitia strictè dicta. Cum igitur tot annis fuerit neglecta ultime hujus voluntatis executio, compensari defectus debet eo modo, quo poterit. Ad alterum, cum dicunt mens testatricis non intimata Ecclesia Naborensi, nihil eo argumento probatur. Debuisse enim intimari illi Ecclesia, & moneri de hoc ejusdem Rector: quod utique non impossibile erat fieri; nam esto, quod ob bellicas turbas eò transferri pecunia legata non potuerit, per epistolam tamen, vel nuntium significare istud utique etiam eo tempore Hæredes valuerint: unde cum ignoranti tempus non currat.

c. licer. de supplend. neglig. Pralat.

& ignorante Domino, si alius possessionem illius accepit, præjudicium Domino nullum fiat.

c. 12. de restit. spoliat.

Hinc sequitur, nisi alia rationes suadent contrarium, etiam nunc Ecclesiam illam habituram jus repetendi legatum, & census legati. Ad Confirm. esto, tum summanam legatam pro anniversario, utpote cumulo totius hæreditatis commixtam, tum etiam census, qui ex ea summa per tot annos fluxerunt, mansisse sub Hæredum dominio; semper tamen adita hæreditas secum traxit obligationem justitiae ad execuenda legata pia, & ex censibus solvendi sacrificia annua. Manet igitur certum, præter summam 400. Florenorum adhuc solvendum aliquid aliud pro Sacrificiis & anniversariis à testatrice imperatis, & omisssis hactenus.

9. DUBIUM EST I. Quantum restitui prætolovit ter summam capitalem debeat? Quadrin. Dubium I. genti fioreni, si quinque pro centum dentur, annuatim faciunt fiorenos viginti; si quatuor, sedecim: ex his annuis censibus ex testatricis voluntate, ut habetur in testamento, ex-

pendendi sunt 9. fioreni 30. Cr. Sacerdotibus pro duplice officio solenni, & missis privatis in anniversario faciendis: quinque fiorenpi pro pauperibus eadem die anniversaria, & id, quod restat, Ecclesie, & ministris Ecclesie, in qua anniversarium agitur. Ex his certum omnino est, dari obligationem strictè dictam justitiae, ut compensentur Sacra hactenus omisa omnia. Nam ad hæc anima testatricis habet jus; cum ea intentione, & conditione bona sua hæredibus reliquerit, ut inde legati istius fieret executio. Idem dicendum de eleemosyna quinque fiorenorum constituta in annos singulos pro pauperibus; nam eti pauperes forte, cum nullis determinatis legata fuerit, jus propriè dictum non habeant; anima tamen testatricis ad has jus habet, & ipsi Hæredes ex testamento, & quasi pacto oneroso justitiae obligationem aditione hæreditatis in se suscepserunt, ut juxta voluntatem testatricis distribuant. Applicari tamen in hanc intentionem, & finem etiam poterunt eleemosyna quotidianæ alias solite, & deinceps faciendæ; non tamen factæ hactenus; cum intention ad factas se non extendat. De pecuniis in ministros Ecclesie reliquos partiendis, sufficit, si imposterum illæ in eosdem distribuantur, cum habebitur anniversarium. Ob præteritos annos probabilius nihil ipsis debetur; quia pecunia illæ tantum debentur sub conditione obsequii, cantus, & laboris praefiti; ea autem, quæ sub conditione debentur, non debentur absolute, nisi conditione impleta, quæ in casu nostro, cum anniversarium imperatum nusquam habitum sit, posita nunquam est. Idem dicendum de iis, quæ anniversarii intuitu jussa sunt dari Ecclesie; jussa enim sunt huic dari ob sumptus pro anniversario factos, puta, ob cereos, thus, vinum pro consecratione, hostias, usum paramentorum, pulsationem campanatum &c. atqui nulli facti sunt ejusmodi sumptus, vel impensa hactenus. Igitur nihil videtur deberi templo ex hactenus lapsis censibus, vel potius fructibus, sed sufficit etiam hinc inchoari expensas has templo faciendas, cum caperit haberi anniversarium. Utile tamen erit pro quiete conscientia, etiam pro hoc ipso ab Ordinario dispensationem petere, quam etiam dabit visâ petitionis æquitate; sic enim dispensando nullius juri absoluto nocetur, & ultima voluntas testatricis adhuc modo, quo potest, optimo servatur.

DUBIUM EST 2. A quo tempore, ubi, & quomodo Missarum hactenus omisarum compensatio facienda? De tempore certum est, non à die conditi testamenti, sed à die obitū, & aditæ hæreditatis obligationem contractam esse exsolvendi legata; nam hæc primùm confirmantur, & robur accipiunt morte testatoris. Unde sufficit, si computando Missas omisssas à die obitū, compensatio fiat. De loco, ubi Missæ dici debeat, res transfigi cum Ordinario poterit. Videatur in quovis templo hoc fieri posse, cum ad eas

IO.

Dubium 2.

CONSLIUM I. LEGATI.

eas ante applicationem legati certo loco factam, nulla certa Ecclesia jus habeat. Accedit, quod si in uno solum loco legi haec Sacra deberent, executionem plurimum differre necesse foret; cum ordinariis non praestō sint præsertim in pagis tot sacerdotibus. Unde utile fortassis erit, ut in plures Ecclesiæ Missæ legendæ dividantur, vel facienda tradantur monasteriis Religiosorum, quibus etiam stipendium in viualibus, cum haec paratioria sint, quam pecunia, solvi poterit. De modo id solum monendum, ut manus operi applicetur tam maturè, quam potest; sic enim exonerabitur conscientia, & forte detenta adhuc in purgatoriis flammis anima testaticis refrigerium & solatium accipiet eò citoius. Procedit in casu hoc vulgatissimum axioma: *Qui cibā dat, bis dat.* Idem dicendum de eleemosyna ex testaticis voluntate distribuenda in pauperes. Utrumque autem fieri poterit successivè; simul enim hoc fieri moraliter impossibile videtur; cum gravem summam faciant pecunia tum in Sacra omessa, tum in eleemosynam imperatam, & partier omessam expendenda; pecunia namque pro Missis ab anno 1642. tempore transfectionis ad 1705. computata facit 598. Flor. pro eleemosyna verò 315. Flor. Mora illa permittitur, quæ spectato rei domesticæ statu necessaria est, ne executio fiat moraliter impossibilis.

QUÆRITUR III.

Quomodo exequendum sit legatum alterum 500. Florenorum, factum à testatrice pro pingendo altari, & aliis ornamenti comparandis pro Ecclesia Parochiale domicilio, unde testatrix in exilium abiit?

II. Dubium 1. **E**T. Quidem DUBIUM EST, an necessariò juxta intentionem testaticis pro altari, & templi ornatu applicari debeat, vel an adhiberi ad alios pios usus, e. g. ad augmentum Confraternitatis, quæ in illa Æde Parochiali instituta viget, & præsertim ad constitutendos, & alendos necessarios Confessarios pro Festis dictæ Confraternitatis magis principalibus? Procedit hic regula universalis, quæ habetur.

Clem. 2. cit. supra num. 3.
quod ea, quæ largitione fidelium ad certum usum pium destinata sunt, ad illum, & non alium usum (salva Sedis Apostolicæ potestate) converti debeant. Si tamen adhuc causa aliqua ex relatis num. 4. mutatio fieri poterit, sed, ut ibidem sub finem diximus, non sola Hæredum, & Executorum voluntate, sed cum consensu Ordinarii, qui eo casu interpretari voluntatem testaticis poterit. Nominatim si ita necessarium videatur esse, & Ecclesia, cui legatum hoc factum est, aliunde non habeat pecunias, unde haec sibi comparet, ap-

plicari haec pecunia cum Ordinarii consensu poterit ad coemendos cereos pro re Divina, ad vinum pro sacrificiis, patimenta sacra, restorationem templi &c. Multò verò optimè sit, si, quia pauper, & egena dicitur Ecclesia illa esse, cum ejusdem Ordinarii consensu & facultate ad censum annum locaretur pecunia haec, ut ex iis, quæ ex censibus istis provenient, Ecclesia annuatim sibi comparare haec necessaria deinceps possit. Circa applicationem harum pecuniarum ad incrementum Confraternitatis, in templo, cui legatum factum est, vigentis, major difficultas est; cum ejusmodi Confraternites plerumque proprium peculium habeant, ex quo solvere sibi necessaria possint, neque ipsæ, & earum necessitates ita arctè contingant tempulum, sed huic sint accidentaria.

DUBIUM 2. An etiam census anni, qui interea temporis, dum executio hujus legati dilata est ab Hæredibus, fluxisset, ex 500. his florenis solvendi sunt? Respondendum negativè; solum enim per ultimam voluntatem testaticis imperatur opus; in quo execundo si mors aliqua culpabiliter intercedat, penitentiæ solum opus est ob negligientiam, satisfactio præterea, aut compensatio alia ex obligatione nulla est addenda, modò opus imperatum præstetur. Patet à pari cum voto, quo si vovi Ecclesia centum florenos, et si plurimos annos executionem differam, pecco quidem differendo ob negligientiam, ultra summam autem votu promissam nil Ecclesia debo. Ratio principalis est; quia dum suscipitur onus ex solvendi legata, suscipitur etenim, ut præstetur in testamento imperatum, quod si præsumtum sit, Ecclesia, in cuius favorem legatum factum est, nihil habet, quod ultra posse. Quodsi familia obligata sèpè memoratos hos 500. florenos retinere apud se velit cum onere censū anni inde præstandi, id poterit omnino cum Ordinarii consensu facere: pecunia verò, quæ in censum dabitur, impedi debet ad usum Ecclesie, cui legatum factum est, & ad necessitates ejusdem communes, ut *num. præc. diximus.*

DUBIUM 3. An non prædicta summa 500. florenorum successivè, & per partes Dubium 3. exsolvi possit? In hoc negotio videndum, quid moraliter possibile sit familie obligata; nam ut passim Jura, & *num. 7.* diximus, ad impossibile nemo tenetur, & in impossibili genere etiam illa consentur, quæ non nisi cum maxima difficultate fieri possunt. Debebunt igitur Ordinario proponi difficultates, si quæ obstant, & hic decernet, quid spectatis circumstantiis, & familie obligata statu fieri expediat. Convenientius utique esset, si simul solveretur universa summa; sic enim satisficeret statim obligationi conscientiae, & morarum forte ulterius hæderum præscinderetur periculum. At si hoc fieri nequeat, vel difficulter admodum possit,

12.

Dubium 2.

possit, arripiendum alterum, ut successivè satifiat debito, modò ita maturè, ut nulla sit in mora culpa, & pecunia soluta expendantur ad eum finem, quem vel testatrix intendit, vel Ordinatus præfixit,

Q U Æ R I T U R I V .

*Quid agendum cum legato ioo.
florenorum factò à testatrix duabus
fuis ancillis?*

14. R Esp. Curandum ante omnia, ut veniatur in notitiam familie, & consanguineorum, quos reliquerunt dictæ duxæ ancillæ, si quidem sperari notitia talis possit; & tunc si ex his intelligatur, quod adhuc dictæ duxæ ancillæ vivant (quod tamen credibile haud est tanto interlapso tempore) illis solvendum legatum; at si jam decesserunt, earum hæredibus; nam isti succedunt in omnia illarum jura, cùm igitur memoratae ancillæ per testamentum, & ultimam voluntatem morte firmatam ad dictos centum florenos acceperint jus absolutum, saltem ad rem, cum ceteris juribus jus etiam istud ad hæredes earum transiit, & sic jure suo ioo. hos florenos peterent, & Hæredes testatrixis obligarentur eisdem solvere. Et hoc quidem certum est. Controversia tota in id devolvitur, quid agendum, si in notitiam familie, & hæredum, quos reliquerunt dictæ duxæ ancillæ, veniri non possit, sicut credibile est, non posse; cùm forte ne nomen quidem illarum, & multò minus patria, in qua quarti consanguinei istarum possint, cognita sint, vel perfecta. Dubium hoc attingit celebrem illam in Jure utroque quæstionem, qua quæritur, an legatum obliget, & solvi debeat, cùm à testatore relictum est privata personæ, & hæc decessit? in quo dubio distinguendum est, & videndum, an relictum illud sit tanquam ob causam piam, intuitu videlicet pietatis, & misericordia, alias relinquendum alteri pauperi, si hic pauper non esset; vel an relictum sit magis contemplatione, & favore personæ, non habito respectu ad piam causam. Si primum, personæ defunctæ, alteri pauperi dandum legatum est; quia principalis intentio testatoris manet, & consequenter impleri debet in alia saltem persona. Si secundum, legatum sit caducum, & manet penes hæredem gravatum, cùm cessaverit ratio, ob quam legatum scribebatur illi personæ.

Ita Bartol. in l. pater. s. Tusculanus. ff. de legat. 3. Abb. in c. nos quidem. 3. de testam. n. 14. Covar. n. 11. ibid. Molin. tract. 2. D. 249. n. 10. Laym. l. 3. tr. s. c. 11. n. 10. Barbos. de offic. & po-test. Episc. p. 3. alleg. 82. n. 37. Pirhing. lib. 3. tit. de testam. n. 124. & colliguntur ex l. legatum. ff. de usus legat.

Quare, ut bene monet Pirhing. l. cit. ex verbis testamenti, & circumstantiis rei col-

ligendum est, quænam fuerit mens testatoris; nam licet in dubio præsumendum sit legatum pauperi relictum, pietatis, & misericordia causâ relictum esse, adeoque legatum pium censeri debeat; interdum tamen ex verbis, & circumstantiis appetet, quod testator principaliter legaverit, vel reliquerit propter servitia, & merita personæ, adeoque favore illius tantum. Tale indicum, ait Abb. l. cit. esse, si persona, cui legatum relictum est, diu servivit testatori; tum enim ait, præsumptionem esse, quod voluerit eam remunerari.

Ex his sequitur, quod ad positam quæstionem responsio colligi ex eo debeat, an nempe centum isti floreni relicti ancillis his censeri debeant legatum pium, an verò profanum tantum. Pium erit, si relevanda paupertatis ancillarum causâ sit factum, & ut opus misericordia, & pietatis; & tunc, ut num. præced. dictum est, applicandi centum isti floreni sunt in alias causas pias, sed quod principalis intentio testatrixis eo casu fuerit, facere opus misericordia, & pietatis, quod fit etiam, cùm applicantur in subsidium aliorum egenorum. Profanum erit, si factum est intuitu solorum obsequiorum; & tunc juxta dicta num. præc. cit. mortuis legatariis, & earum hæredibus, caducum fit, atque apud Hæredes gravatos manet: & ratio in nostro casu etiam est specialis; nam cùm legata fuerit non certa quædam pecunia, sed centum floreni indeterminati ex toto cumulo hæreditatis, & cum hoc confusi, legatariæ per testamentum morte testatrixis firmatum, solum acquisiverunt jus ad rem, jus in re verò, & dominium pecunia legatae retinuerunt Hæredes testatrixis, quamvis gravatum jure ancillarum istarum per ultimam voluntatem testatrixis acquisito: jus autem istud, cùm ancillæ decesserint, nec supersint, in quos illud post mortem illarum transiérunt, extinctum est, adeoque factum, ut gravamen, quo Hæredes à testatrixe gravabantur ad solvendum hoc legatum, upote cessante fine, & objecto gravaminis, etiam ipsum cessarit. (hæc doctrina supponit, quod Hæredes, qui tanto tempore distulerunt præstationem legati, non versati fuerint in mala fide.) Ut autem resciatur, qua mente testatrix legatum hoc fecerit, & an pium, vel potius profanum sit, optimè explicabunt verba testatrixis in testamento posita. Si ex his nihil firmum colligi possit, circumstantiae in consilium sunt adhibendæ. Ex his autem videtur utrumque præsumi posse: nam esse legatum pium præsumi potest ex circumstantia paupertatis; quia ancillis plerumque legata ejusmodi relinquuntur, non tantum quia inservierunt fideliter testanti, sed quia tanquam pauperes subsidio indigent: esse legatum profanum præsumi videtur; quia existimari potest, factum fuisse intuitu obsequiorum, cuius signum Abbas supra sit, ait esse, si persona

15.

CONSLIUM II. RELIGIONIS LIBERORUM.

9

Sona legataria ei, qui legatum fecit, diu inserviuit. Ob istas rationes, & quia, ut *num. praeceps*, sub finem dictum est, in dubio semper presumptio est pro causa pia, videtur legatum hoc aliquod mixtum esse, & quia in remunerationem obsequiorum factum est, partim profanum; quia vero etiam in sublevationem paupertatis, partim pium: ut profanum, caducum erit; ut pium, suum vigorem retinet. Unde videtur divisione opus esse, & dimidia saltem legati pars in piis causas insumenda.

16. Dubium restat, in quasnam piis causas sit insumenda ita pecunia? an Sacrificia procuranda pro ancillis his, quibus pecuniae ha debebantur, & pro harum consanguineis? an vero sufficiat applicare, & insumere illas ad alias piis causas, e. g. ad restorationem alicujus Capellae, ad educationem pauperum quorundam pupillorum &c. Respondendum, pecuniam hanc sequi naturam bonorum, que, quia Dominus illorum ignoratur, incerta dicuntur. Unde sicut haec in causas quidem piis ex communi DD. sunt insumenda, applicatio tamen, & electio arbitraria est, ita etiam in nostro casu dicendum, pecunias itas vel in pauperes, maxime pupilos erogari, vel insumi in Missas

pro memoratis ancillis, & consanguineis illarum dicendas posse. Ad quascunque tam causas pias applicentur, applicatio facienda ea intentione, ut animæ defunctorum inde refrigerium habeant; sic enim legatum hoc, cum corpori illarum prodefit non amplius possit, saltem animæ proderit. Et hinc longe convenientissimum erit, si insumatur in Missas pro his dicendas. Debet autem etiam in hoc negotio rem transfigere cum Ordinario, qui pecuniae erogandæ quantitatem, & erogationis modum statuet: & huic statuto si familia obligata paruerit, omni scrupulo conscientiam liberabit.

Hoc nostrum de casu praesente, salvo meliore. Judicium est. Circa executionem id præ ceteris notandum, ut fideliter, & quantum fieri poterit, celeriter, & mature obligatio tamdiu suspensa effectui detur. Neque ex hoc capite timendum, ne quid rei familiari decedat; nam ante omnia, ex Christi monito, querendum est Regnum DEI. Quod si studiosè quæsiverimus, & DEO dederimus, que DEI sunt, adjicit ipse gratiam, & benedictionem suam, ut crescant etiam temporalia, que sepe imminuit nostra in DEUM parcitas.

* * *

CONSLIUM II.

De educandis liberis in Religione Catholica, vel Lutherana.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *Conditionata Promissio de educandis Liberis in Religione Lutherana non obligat Parentem Catholicum absolvit.*
3. *Ostenditur, promissionem fratre conditionatam, & ratio dubitandi refellitur.*
4. *Nec obligatur, et si promisisset absoluitur.*
5. *Pater Catholicus non potest cogi, ut filium tradat Lutherana doctrinam imbuedendum, idque*
6. *Nec vi promissio,*
7. *Nec vi decreti à Consistorio Lutherano editi.*
8. *Non obligatur filius promissione Patris, ut se instrui permittat in Religione Lutherana.*
9. *Nec Pater, aut ullus alius cogere ipsum potest, ut fidem Catholicam deserat.*
10. *Pater non potest puniri ob fugam filii se inscio initam.*

SPECIES FACTI.

I.

Ante complures annos in loco, Principis Protestantis editioni subiecto, Titius Mercator Catholicus fecit Sponsalia cum Sempronia addicta secta Lutherana, cum qua cum proxime Matrimonium solenniter contrahendum esset, negavit Parochus Lutheranus ei se adstitutum, nisi scripto sponsus promitteret, non solum se sponsam suam Semproniam in Religione sua quiete vivere permissemur, sed etiam se, casu quo veram hanc lectam indubitanter agnoscere, ad eam transiturum, & liberos suos omnes in

R. P. Schnalzgueber Consil. Tom. I.

ea educaturum. Displacuit petitio ista Titio, vehementissime, praesertim cum nec Sempronia sponsa, nec Parentes illius, vel consanguinei quidquam hujusmodi ab eo desiderassent; jamque decreverat potius à Matrimonio promisso desistere, quam petitioni data subscribere. Videns hoc Parochi supradicti Diaconus, repetitis vicibus apud Titium instituit, & (quod juramento contestari paratus est) ad ductis etiam exemplis aliorum Catholicæ Religionis, qui nihil propter ejusmodi subscriptionem molestiae passi sint, protestatus est, hujusmodi promissionem in speciem tantum fieri, & ideo solum, ne porrò difficultates Matrimonio objiceret Parochus. Sic tandem persuasus Ti-

B

tius